

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
INAUGURALIS
DE
I G N E,

2^VAM,
Volente Deo Opt. Max.

536.9/14
3

Ex autoritate Magnifici D. Rectoris,
D. FREDERICI SPANHEMII, S.S. Theologiae
Doct. ejusdemque Facultatis in Inclyta Bat. Acad.
Professoris ordinarii, & Ecclesiae Gallo-Belgi-
cae Pastoris Vigilantissimi,

*Consensu Ampliissimi Senatus Academici, nec non
Inclytæ Facultatis Philosophicæ Decreto,*

Pro Artium Magisterio & Philosophiæ Doctoratu,
rite acquirendis,

Publicè examinandam proponit

JOANNES DE RAEI.

Ad diem 15. Iulii, hora locoque solitis.



LVGD. BATAV.
Ex Officina Francisci Hackii, ANNO 1647.



Celeberrimo Doctissimoque Viro,

D. ADRIANO HEREBORD,

*L. A. M. nec non in celebri Batav. Acad. Philosophiæ
Professori ordinario, atque Illust. D. D. Ord. Pro-
Reg. prudentissimo, amico mihi plurimum colen-
do,*

Hanc Disputationem

Offero atque dedico

JOANNES DE RAEI.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

I N A V G V R A L I S

D. E

I G N E.

QUOD ignem pro argumento hujusce disputationis ex universa Philosophia selegerim, tum summa illius utilitas, tum innumera ejusdem vires ac proprietates in causa fuisse, quæ quidem tot ac tanta sunt, ut, si quis attendere dignetur, in majorem admirationem nos trahere debeant, quam pleraque eorum quæ admirari solemus. Verum quandoquidem non ab extremis & ignotis regionibus desertur ad nos; sed ubique obvius est ignis, negligimus quas admirari deberemus ejus operationes, duas quæ ejusdem vere admirandas proprietates, Lucem nimirum atque Calorem propriis nominibus significasse sat esse rati, diligentiore in earum naturam & causas indagine super sedemus. Quæ causa est, quod tot perspicacissima ingenia, jam aliquot seculis in vastissimis suis de rebus naturalibus, commentariis, iis quæ circa naturam ignis sunt contemplationibus, vel locum non dederint, vel, si quando illis vacare dignati fuerint, hoc solum pronuntiaverint, ignem ficcum esse, atque omnium corporum levissimum nec non calidissimum: quærentibus causam harum qualitatum, atque unde tot diversissima operationes proveniant, responsum in promptu erat, eam esse ignis naturam ac proprietatem, ut Luce sua conspicuus, Calore autem efficax, nostrum corpus calefacere, eaque quæ occupaverit dissolvere, solvere, agitare, urere, variisque pro subiecta materia modis immutare valeat. Tam diversorum effectuum causam intelligibilem ut inveniamus, statui (quantum quidem per præsens institutum licebit) intima admirabilis hujus substantia paulo diligentius rimari, atque ita quid in ea sit æque plurimarum operationum, breviter examinandum proponere.

THESIS I.

IGNIS vocabulo designare solemus substantiam aliquam, quæ propria luce abundans, fulgens, jactisque radiis ambientem aërem implens,

implens, eumque, qui propius accesserit calore suo feriens, tanta efficacia ut plurimum pollet, ut, corpus quod occupaverit, dissolvat, plurimaque quibus adinoveatur innumeris modis afficiat atque immutet.

II.

Non est autem substantia permanens, qua perpetuo frui nobis liceat, verum, ubi eo indigemus excitari primum debet, nec non, si longiori tempore subsistere eundem velimus, perpetuo fomite conservari.

III.

Verum non quævis materia in ignem converti, vel eundem jam accensum fovere apta est. Convenientissima sunt pingua, ut oleum & pinguedo, quos spectant pix, resina, butyrum, & quæ sunt plura ejus naturæ, ut tota in ignem converti queant. Pingua & oleosa omnia quam apta sint incendio, præter experientiam, qua illorum in urendo efficacia & promptitudo satis nota est, vel hoc solum confirmat, quod à reliquis combustibilibus, quæ non tota in ignem, sed partim in cineres abeunt, oleum per distillationem separetur. Præter oleum tamen in combustibilibus etiam spiritus acidus & sal volatile reperiuntur, quorum copia efficaciam ignis plurimum auget, uti vel ex ossium combustionem constat, quæ ut vehementissime urunt, ita præter oleum plurimum etiam spiritus acidi ac salis volatilis, ubi distillantur, supeditant. Atque ita hæc tria, oleum, spiritus acidus & sal volatile unica & vera ignis materia sunt. Non aer, non aqua, non terra, sed hæc sola in ignem mutantur. Lapides, metalla, & quæ sunt plura id genus, quæ incendi nequeunt, oleo carent, vel adeo firmiter hoc sibi unitum habent atque tam paucum, ut incendio non sufficiat.

IV.

Inventa jam vera ignis materia, reliquum est ut investigemus, quæ mutatio in ea contingat, ubi in ignem convertitur. Sunt qui breviter hanc quæstionem solvunt, dicendo, materiæ in ignem convertendæ ab agente aliquo summum induci calorem; quo ad formam ignis suscipiendam

piendam disponitur, cui calori alii siccitatem addunt. Nolo hoc loco cum iis disputare, hoc solum dico, non necesse esse ut initium transmutationis à calore fiat, cum in iis, quæ solo motu accenduntur, sola partium materiæ combustibilis secretio omnium primo fiat. Addo etiam, calefieri quidem materiam dum accenditur, calorem tamen illum non necessario summum esse, ut sit in incenso spiritu vini, quod & in fulmine aliisque meteoris ignitis locum habere, tum ignes fatui tum ii qui lambentes vocantur, demonstrant. Quæ forsitan causa est quod Arist. præter flammam & carbonem, *φῶς*, inter species ignis posuerit. Et dato denique, quod universa materiæ combustibilis in ignem transformatio à calore initium sumat atque in calorem desinat (quod quidem ordinarie fieri credimus ubi ignis ignem excitat) quid tum patiatur materia combustibilis, & quæ sit intrinseca natura qualitatis illius, ratione cujus calida dicitur, inquirendum restare, nemo non videt: In cujus veritatis investigatione sequenti methodo progrediendum existimo.

V.

Si primo indagemus, quæ sint causæ ignem excitantes, & quid illæ agant in materia combustibili, quamque mutationem efficiant, & secundo, quæ sint ignis effecta. Causas quod attinet, frequens inter eas est alius quidam ignis, qui materiæ combustibili admotus eandem incendit. Verum, cum proprietates ignis nondum perspectas habeamus, nec satis distincte noverimus quomodo operationes suas exerceat, quasve mutationes aliis corporibus imprimat, utique etiam explicari non poterit, qua ratione materiam combustibilem in ignem convertat. Examinabimus itaque, qua ratione Motus & Lumen ignem excitent. Quoniam hæc causæ, teste experientia, ut calorem, ita & ignem producere possunt.

VI.

Aristoteles Lib. 2. de Cælo t. 42. *Motus*, inquit, & *ligna & lapides & ferrum ignire solet*. Quæ motus in calefaciendo efficacia ita placuit Aristoteli, ut citato loco, & 1. Meteor. passim, universum mundi inferioris calorem à solo cæli motu deducat. *Quum*, inquit, *primum*

elementum in orbem feratur, simulque corpora quæ in ipso sunt, pars inferioris mundi, quæ proxima adhærescit, exhalatio videlicet sicca & calida quæ *ὑπερκαυρῆς* *& ignis ab eo dicitur, motu quidem discreta ac digesta, ignescit & calorem facit.* Volebat videlicet Aristoteles cælum seu potius solem perenni sua rotatione subjecta sibi corpora fricare continuo atque atterere, haud secus atque aer à sagitta velocius vibrata atteritur; neque fricare solum, verum insuper totum illud quod supremis montium jugis supereminens ad cavum Lunæ extenditur, una circumirapere. Atque hoc etiam raptu subjectum cælo hypeccauma cum portione aëris discerpi in tenues partes, rarefcere atque in ignem seu flammam sæpe mutari. Quæ omnia si quis cum Aristotele soli tribuere velit, quomodo à manifesta absurditate excusari queat, non video. Et quamvis neque orbi Lunæ, à quo tanguntur hæc inferiora, competere queant, hoc saltem ex iis discimus, quæ ratione motus ignis causa esse queat.

VII.

Dico igitur, ubi per motum ignis excitatur, sive solidorum corporum attritione, sive sola fluidi corporis agitatione contingat, partes materiæ combustibilis distrahi primum atque secerni. Adeo ut merito dici possit, primam mutationem quam corpus combustibile per motum subit, eam esse, quæ sit secundum locum. Cum enim non quævis substantia quæ in materia combustibili reperitur in ignem mutetur, sed id quod oleosum in ea est & subtile, profecto hoc à reliqua materia terrestri secerni debebat, ut seorsim constitutum formam ignis suscipere posset. Confirmatur hoc etiam manifesta experientia, quod in lignorum, silicum, aliorumve corporum vehementiori collisione, halitus quidam odore gravis percipitur; atque idem prorsus locum habet in ordinaria ignis per alium ignem vel etiam per fortius lumen generatione, solet enim fumus omnium primo prodire.

VIII.

Non sufficit autem distrahi aliquo modo partes materiæ combustibilis, verum insuper attenuari eas oportet. Atque hoc etiam per vehementiorem motum necessario fieri facile concipimus. Dum enim id

id quod oleosum est in materia combustibili & quod acidum vel salsum illi adest, vehementiori motu à reliqua materia terrestri divellitur, simul in minutiores partes diffringitur, hoc est, attenuatur.

IX.

Tertio denique, perdurante motus vehementia, quod à crassiori materia secerni diximus, in partes adeo minutas divellitur, quæ non amplius cohærentes, præ levitate, seu potius agilitate, dissiliant, in amplius spatium prorumpant seu rarefcant, magnæque vi agitæ formam ignis seu flammæ concipiant. Atque hinc fit, ut, ubi motus non est satis vehemens vel diuturnus, ligna & filices ubi atteruntur exhalationem sine flamma quandoque emittant. Hinc etiam ratio petenda est, quare quædam combustibilia citius, alia tardius vel incendantur vel consumantur. Prout in spiritu vini, stramine, ligno, cespitibus, & carbonibus fabrorum quotidie videmus. Imo innumera circa ignis proprietates problemata ex jam dictis explicari possunt.

X.

Atque his tribus modis materiam combustibilem mutari posse à vehementiori motu, per se ita evidens est, atque tam unanimi Philosophorum consensu, totque experimentis confirmatum, ut nullus dubitandi locus supersit. Una tamen restat difficultas, quæ ultimam præcipue mutationem concernit. Quomodo videlicet partes materiæ combustibilis vi motus secretæ & à se invicem divulsæ tanto impetu atque agilitate moveantur ac rarefcant, ut corpora quibus occurrunt, urant, solvant, consumant, & ipsæ continuo in auras avolent. Facile enim capimus, quomodo solo motu attritionis secerni aliquid queat, ac in minores partes divelli, ac forsan etiam nonnihil distrahi seu rarefcere, quod forte locum habet ubi ex corporum allisione fumus tantum secernitur; verum unde ea quæ sæpe ad ictum oculi in eodem corpore conspiciuntur, raritas nempe, agilitas atque efficacia, imo & Lux, originem habeant, haud satis intelligimus.

XI.

Qui Scholasticam Philosophiam sectantur, gladium suum Delphicum

cum huic nodo solvendo sufficere putant, dum hæc omnia, & quæ plura in Igne tam subito ex fumo emicante reperiuntur, calori atque ipsi denique ignis formæ accepta ferunt. Cujus caloris atque formæ originem, si quis ex doctrina eorum eruere pergat, iis difficultatibus se mox implicatum videbit, quibus extricare se nunquam possit. Etenim cum Calorem atque ignis Formam, diversæ & nobilioris naturæ à motu esse statuunt, in vera eorum causa invenienda admodum se torquent.

XII.

De calore quidem non multum solliciti sunt; verbo dicunt, dum motus distrahit atque rarefacit materiam, calorem tanquam comitem raritatis resultare, hanc namque præparationem esse ad illum in subiecto recipiendum. Quæ autem sit causa proxima calorem inducens in subiectum, explicare non possunt.

XIII.

Ortum formæ ignis quod attinet, ejus causas & originem majori diligentia indagarunt. Sunt qui dicant, dum per motum materia combustibilis incalescit ac rarefit, eam ipsam alterationem in formam terminari, ita ut nulla alia actio concurrat. Alii, quibus absurdum videtur, ut revera est, virtute solius motus & reliquarum qualitatum, substantiam produci, defectum illum, qui in motu est ad producendum tam nobilem formam, à causa universali, Deo videlicet, vel sole suppleri statuunt. Si quando per calorem disponitur subiectum ad concipiendum ignem, tum præsto est auctor natura, qui in rebus fortuitis agit partes creaturarum, inquit Mendoza tom. 2. d. 9. §. 34.

XIV.

Ego, ut id quod sentio libere pronunciem, universam hanc litem ipsius Mendozae verbis componi posse existimo. Tomo 2. disp. 9. §. 23. in hujus farinæ Philosophos his verbis invehitur: *Hoc mihi ingenium est atque natura, ut commenta existimem eorum placita, qui, ut apertas rationes & experientias eludant, confugiunt ad occulta naturæ sacramenta, tan-*

quam ad sacram anchoram, ut inter occulta latibula delitescant, erigantque aras ignoto Deo.

XV.

Profecto, si experientiam consulamus, & eas etiâ rationes quæ à Scholasticis circa hoc argumentum adferuntur, utraque manifeste evincunt, motum quo ignis excitatur, nullam qualitatem, quæ sit eminentioris naturæ, & multo minus formam aliquam substantialem, verum solam partium materiæ secundum locum mutationem efficere posse. Quæ cum ita sint, ulteriorem formæ investigationem iis relinquendam censeo, qui, neglecta motus efficacia, neque satis perpenis iis omnibus, quæ sola ejus virtute posse peragi quotidie deprehendimus, tantam illius supponendæ necessitatem esse putabant, ut ubi in ignis productione nullam esse causam, quæ formæ educendæ sufficeret, evidenter intelligerent, cælum potius terra miscendum, quam alias manifestiores causas, eorum quæ in igne admiramur, quærendas esse statuerent.

XVI.

Nos itaque methodo nobis propositæ insistentes, porro investigabimus, qua vi, ex partium quarundam à materia mota secretionem, momento quasi tot viribus admirabilis substantia oriatur. Atque ita quis sit ille calor & forma ignis tam nobilis, in quorum causis indagandis, tantum operæ perditum fuit, una explicabimus.

XVII.

Ubi vehementiore motu concutitur aliqua materia, v. g. lignum, non sufficit, si dicamus materiam illam distrahi ac rarefcere, atque ea ratione calefieri, &c. ita enim tacite supponitur, ut supponi solet, quicquid in ea substantia est, modo rarefcat, hoc ipso ad formam ignis factis esse dispositum. Verum si ea quæ thesi 3. de materia ignis demonstravimus, clare intelligamus, ex ligno per motum hoc solum separari animadvertemus, quod etiam per combustionem ordinariam separari solet, quod admodum volatile est atque efficax, quippe ex oleo, spiritu acido & sale volatili maximam partem compositum.

B

XVIII.

XVIII.

Oleum constat partibus admodum tenuibus, quod vel facilis illius in quavis fere corpora penetratio indicat; neque tenuibus solum, verum etiam raris nec admodum compactis, unde in subtilissimos Spiritus vegetabiles, imo & animales, resolvi potest, atque ubi incenditur, amplissimam flammam efficit. Per spiritus acidus & sal volatile intelligimus congeriem partium admodum tenuium sed solidarum; tenuitas agilitatem facit seu levitatem, ita ut facile moveri atque in aliorum corporum meatus angustiores sese insinuare possint; soliditas autem Mobilitati efficaciam & robur addit, ita ut alia corpora non penetrare solum sed etiam solvere soleant: prout vel sola aqua fortis dicta demonstrat. Hinc etiam sales ignibus injecti eorum vim augent, atque ossa vehementius urunt.

XIX.

Cum igitur materia proxima ignis constet partibus adeo tenuibus & ad rarefendum aptis, nec non mobilibus atque ad movendum efficacibus, nemo est qui non capiat, quomodo eadem velociori motu ab aliquo movente primum à se mutuo magis divulsæ, velociusque agitatae, alia etiam corpora penetrare, solvere, disjicere, & denique ipsæ in auras abire possint. Hic vero aqua hæret. Agens invenire tam validum quod dictam materiam mobilem quidem, sed quiescentem adhuc, tanto impetu atque tam subito disjiciat atque agitet, nec non in motu conservet, hoc opus, hic labor est. Quod ipse attritionis motus hoc præstare non queat, jam ante demonstratum fuit: sed præter movens nulla adest causa: quid igitur? an formam substantialem per motum in materia resultantem operi admovebimus. Me quod attinet, fateor ingenue, me difficilius capere, qui per solum motum attritionis forma substantialis tam nobilis in materia oriatur, quam quo modo, per eundem motum alius longe vehementior resultet. Adde quod explicari non possit, qua ratione forma illa motus illos excitet.

XX.

Motus igitur cum ignem excitat, quoniam vehementissimæ illius agita-

agationis, qua materia adhuc immota momento abripitur, adæquata causa esse nequit, & multo minus formam aliquam, quæ hoc agat, producere potest, consilium eorum sequemur, qui, ubi in causa non adæquatam producendo effectui virtutem deprehendunt, ad causam universaliorem confugiunt.

XXI.

Neque hoc nobis minus licitum esse potest, quam fuit ipsis, quippe cum validiorem causam quæramus motus illius vehementioris, quem & inesse materiæ combustibili dum incenditur, & resultare per motum illum attritionis, & plurimarum operationum, imo forsan omnium, causam esse posse, longe profecto evidentius est, quam occulta ac latens in Igne forma, quam & adesse, & per motum resultare posse Ignisque operationes edere, obscurum semper fuit atque dubium.

XXII.

Neque tamen cum Hurtado Mendoza ad autorem naturæ mox confugiemus, verum ipsam naturæ universitatem scrutabimur, ne quid forsan in summa illius amplitudine lateat, quod eorum quæ in Igne admiramur causa esse possit.

XXIII.

Vix angulus est in hoc mundo inferiore, ubi non quandoque Ignis incendatur; in aëre supremo, ac inferiore, in terræ superficie atque cavitatibus. Neque hoc semper à motu fit, verum sæpe à lumine, sæpius sponte. Quid hic contingit? subjecta Ignis materia, ubi inflammatur, rarefcit, in amplius spacium erumpit, atque in tenuissimas partes discerpitur. Hæc raritas atque partium divulsio, nisi multa intervalla vacua admittas, materia aliqua impletur, quam & in aëre & in terra ubi Ignes generantur, præsto esse necesse est.

XXIV.

Aristoteles ejusque sectatores, cum contra veteres semel supposuissent, raritatem sola attenuatione, citra alterius materiæ adventum

absolvi, nunquam de hac materia cogitarunt: quam tamen diligenter investigandam existimamus, quandoquidem raritas illa quam describunt citra materiae adventum, fieri plane non potest.

XXV.

Si Aristotelis Doctrinam sequamur, quam i Meteororum tradidit, nullum corpus huius rei conveniens reperiemus, nisi illud quod Ignem nominat. Hoc enim omnium corporum aptissimum vocat ad incendium, ideoque etiam, ubi motu cœli dispersum deorsum fertur, alteram caloris causam esse in mundo sublunari, præter motum cœli, expresse docet. Verum corpus hoc, cum ipse *καὶ ἐκ τῆς αἰσθητικῆς* nominet, atque *exhalationem calidam ac siccam*, quæ pinguibus & acribus succis constans; *ubi exiguum motum nactus fuerit instar fumi sæpe incenditur* i Meteor. c. 4. adeoque non secus quam alia combustibilia, materia, quam quærimus, indiget.

XXVI.

Aristotelis autem plerique sectatores & Scholastici, de Igne quodam longe nobilioris naturæ, ac est ille Aristotelis, philosophantur. Etenim, quem Aristoteles Ignem vocavit, illi in suprema aëris regione collocarunt, supra quam corpus agile admodum, ac subtile, imo flamma longe tenuius, propriisque viribus efficax, nec ullo alimento indigens, posuerunt. Hunc Ignem, exhalationem calidam & siccam sæpe ingredi docent, eaque ratione meteora ignita accendere, imo ad nos usque detrudi, aliisque corporibus misceri, ubi autem accensus fuerit, pabulo continuo indigere.

XXVII.

Arist. cum i Meteororum docuisset, quatuor mundi sublunaris elementa materiae vicem gerere ac potentia tantum calida vel frigida esse, & c. Ignem illum Peripateticorum adeo subtilem atque efficacem, quatuor corporibus sublunariis non annumeravit. Cum autem Ignis ille revera in mundo sublunari existat, atque materiam combustibilem subeat, ac proinde per universum aëra, & quæ plura sunt loca quibus

quibus Ignis incendi potest, vagari debeat, neque tamen ad quatuor Aristotelis elementa pertinere possit, quinto seu primo ipsius elemento merito accensendum statuimus.

XXVIII.

Aristotelem quod attinet, is, ut primum hoc elementum rebus sublunariis misceret, vix ab animo suo impetravit. Cum enim scientiæ naturalis principium statueret, Quicquid movetur ab alio moveri, corpus quod seipsum moveret, ita ut ab alio corpore non moveretur, quale ipsi est hoc primum elementum perpetuo moveri, adeoque 2. de cœlo. t. 17. Pro numine divino habendum statuit. Et quamvis passim doceat, mundum sublunarem continuatum esse primæ conversioni, ut inde gubernetur atque motus principium accipiat. Ipsam tamen primi elementi seu cœli substantiam seclusam voluit ab hoc inferiori mundo, ratus dedecori fore Majestati corporis adeo Divini, si vilibus hisce sublunaris mundi corporibus intime se misceret.

XXIX.

Univerfa quæ Aristotelem antecesserat antiquitas aliter Philosophabatur de hoc subtili corpore. Illudque vocibus Ignis, calidi, & ætheris designabat, summam illius efficaciam & agilitatem exprimens. Docebant nimirum antiqui intime illud adesse omnibus rebus, atque unumquodque pro sua aptitudine movere, & caloris præcipue fontem esse unicum: prout abunde ab Hippocrate & Platone docetur. Si quam divinitatem illi tribuebant, decori potius, quam dedecori illi fore, si omnibus præsens esset, existimabant.

XXX.

Quantacunque tamen fuerit Aristotelis erga hoc divinum corpus reverentia, ea tamen retinere ipsum non potuit, quo minus hoc rebus sublunariis misceret. Etenim cum docuisset 8. Phys. Nihil ex se ipso motum ciere posse, ubi immotum foret, objecerat sibi exemplum animalium. *Nam prius quiescit animal, inquit t. 20. deinde ambulat, nullorum quæ extra sunt, ut videtur, movente. Hoc autem falsum est. Videmus enim in animali semper aliquid quod in motu sit* *καὶ σὺν κινήσει*. Cujus quidem

motus causa animal non est, sed ~~in~~ ⁱⁿ ~~ambiens~~ ^{ambiens}. Quid autem sit illud ~~compositum~~ ^{compositum} ~~et~~ ^{et} ~~in~~ ⁱⁿ ~~lib.~~ ^{lib.} de generat. animalium evidenter explicat. Omnis animæ sive virtus sive potentia corpus aliud participare videtur, idque magis divinum quam ea quæ elementa vocamus. Inest enim in semine omnium quod facit ut fecunda sint semina, videlicet quod calor vocatur, idque non Ignis, non facultas aliqua est sed Spiritus, qui in semine spumosoque corpore continetur, & natura quæ in eo Spiritu est analogæ elemento stellarum.

XXXI.

Quum autem Arist. 8. Phys. t. 18. dicat, in expertibus animæ semper aliquid quod extra est, ea motu cedere, ubi moventur; nisi Spiritum illum quem viventibus concessit, ad motum etiam inanimatorum applicemus, profecto causas motuum variorum secundum doctrinam Aristotelis, & ipsam rei veritatem, invenire difficillimum erit. Et quam difficile hoc sit vel ex hoc solo constat, quod inter innumeros Aristotelis sectatores vix aliqui reperti fuerint, qui hoc ipsum quod extra res inanimatas existens eas motu cecit, monstrare potuerint. Adeo ut relicto Aristotelis verissimo illo principio, Quicquid movetur ab alio movetur, jam tritum apud Scholasticos dogma sit, Multa esse quæ ex se ipsis motum elicere queant, etiamsi nihil extrinsecus moverit, contra Arist. 8. Ph. t. 18.

XXXII.

Quare corpus illud divinum, quod Aristoteles ad animalium operationes exercendas necessarium esse duxit, reliquis tamen rebus, vel superstitione quadam, vel nimio antiquis contradicendi studio, abreptus, intine adesse noluit, nos qui divinitatem in eo non agnoscimus, non solum infra lunam descendere, cum Aristotelis sectatoribus statuimus, verum cum universa antiquitate, per omnia fufum existimamus. Nec analogum modo elemento stellarum, verum idem prorsus cum eo esse putamus. Atque hanc illius esse naturam, ut subtilissimis partibus constans, & quam velocissime agitata, quælibet corpora penetrare atque movere, & ubi majori copia congestum fuerit (ut fit in stellis fixis & sole nec non in Igne) etiam proprio lumine fulgere possit.

ANNE-

A N N E X A.

I.

Principium illud scientiæ naturalis, quod toties inculcat Aristoteles. Quicquid movetur ab alio movetur, non solum in motu locali sed etiam in alteratione, generatione & reliquis motus speciebus locum habet.

II.

Neque ullus horum motuum fit in distans, sed per solum contactum.

III.

Adeo ut attractio, qualem multi concipiunt, dari plane non possit.

IV.

Qui cœlestia corpora nullis mutationibus subjecta esse, cum Aristotele statuere volunt: illi, tum iis, quæ ab ipso supposita sunt, credere (ut requirit 1. de cœlo. t. 22.) tum eadem cum ipso ratione, iisdemque sensus testimoniis uti debent. Quæ singula, cum aliter se habere, posterioribus seculis compertum sit, nemo cum ratione, quod statuit Aristoteles, statuere potest.

V.

Dari partes insensiles, affirmant omnes, quotquot de rebus naturalibus cum aliqua attentione cogitarunt, neminem autem mortalium eas negasse, exercitii gratia defendemus.

F I N I S.